



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**


**Lugduni, 1659**

Qvæst. 1. An anima rationalis sit spiritualis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

*Probat*ur: quia ut dixi supra *disput.* *precedenti* num. 83. de dolore, probabilius est, quod delectatio & tristitia sint qualitates, quæ seipsis percipiuntur: & hoc supposito nihil cogit ad dicendum quod effectiue producantur à potentia. *Deinde* sic melius saluatur quomodo voluntas non producat in se aliquid vitale, quod non est liberum ipsi; & quemadmodum posset naturaliter necessitari ad actum, quo perciperet qualitatem doloris, non obstante quod concurreret effectiue: ita posset dici quod necessitati posset ad alios actus vitales volitionis, & nolitionis: & præterea delectationes & tristitia non essent passionis, sed operationes: nam illæ actus, quo sentiret voluntas qualitates illius, esset operatio non minus quam intellectio, aut volitio, & sic haberet voluntas actum aliquem elicatum à se, qui non esset volitio, aut nolitio, quod est contra omnes.



## DISPUT. V.

## De Anima rationali.

**U**PEREST consideratio Animæ, quatenus rationalis est, & potentiarum ac actuum ipsi, quæ talis est, competentium. Et quidem, quantum ad substantiam ipsius attinet, solum examinandum est, an sit spiritualis, ac immortalis, & quando, ac à quo producat, nam diffinitio ipsius ex dictis de anima ut sic, & animabus vegetatiua, ac sensitiua, facile colligi potest esse, quod sit actus corporis organici potentia vitam rationalem habentis, seu principium quo physicum, ratione cuius competit substantiis corporeis discurre; qualem animam dari omni illa experientia constat, quæ colligere possumus nos discurre.

## QVÆSTIO I.

## An Anima rationalis sit spiritualis.

1. **V**arij erant antiquorum errores circa naturam animæ rationalis. Ex quibus aliqui putarunt eam esse ignem cum *Zenone*; alij ætrem cum *Anaxagora*; alij sanguinem cum *Empedocle*.

## CONCLUSIO I.

*Anima rationalis est spiritualis.* Hæc est communis omnium Philosophorum, & Theologorum præter paucos antiquos, quorum sententiam paulo ante proposui.

*Probat*ur primo ex Scriptura *Eccles.* ultimo: *Reuertatur pulvis in terram suam, unde erat: & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Et *Luca*: *In manus tuas commendo spiritum meum.* Quibus verbis anima dicitur spiritus: & quamvis in Scriptura spiritus aliquando capiatur pro re corporea, ut *Genesis* 8. *Adduxit spiritum super terram, & nominata sunt aqua*: ubi spiritus capitur pro aëre, ac vento, quibus Deus exsiccauit terram; tamen in locis prædictis spiritum capi, prout opponitur corpori, constans est Patrum ac Theologorum sententia, & patet ulterius ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. relato in cap. *firmiter de summa Trinitate*, ubi dicitur natura humana constituta ex spiritu & corpore: & ex cap. *quidam autem hæreticorum*, ubi refertur inter hæreses sententia tenens animam intellectuam non esse spiritum, prout spiritus opponitur corpori.

2. *Probat*ur Complutenses ex *S. Thoma 1. part. qu. 75. art. 2.* Omne quod est in potentia ad aliquid caret eo: sed intellectus est in potentia ad intelligibilia omnia recipienda in se per intellectiorem eorum: ergo caret ex se omnibus illis intelligibilibus; sed sensibilia ac corporalia sunt intelligibilia: ergo caret omni materia ac corporeitate, & consequenter est spiritualis; sed si intellectus sit spiritualis, anima cui convenit connaturaliter, debet esse spiritualis.

*Confirmant* primo: si visus haberet in se aliquem colo-

rem, ille impediret quo minus videret alios colores: videtur: ergo si intellectus esset materialis, seu haberet in se materialitatem, non posset intelligere alia materialia.

*Confirmatur* secundo, quia intellectus est pura potentia in ordine intelligibili, quatenus ex se non includit aliquod actum istius ordinis, seu aliquod obiectum intelligibile quod habeat se ratione sui, vel ratione speciei, ut forma, & actus in ordine intelligibili, ut constituens ipsū in actu primo & completo ad intelligendum: ergo non habet aliquam quidditatem materialem, quia obiectum intellectus pro hoc statu est quidditas rei materialis, & consequenter si intellectus ex se non habet obiectum aliquod intelligibile, non debet habere talem quidditatem.

3. *Hæc probatio*, prorsus est insufficiens cum suis probationibus: quia si valeret, sequeretur manifestè quod intellectus non esset spiritualis: intelligit enim spiritualia: ergo si deberet carere omni illo quod potest intelligere, deberet carere spiritualitate, quia spiritualitatem potest intelligere.

*Viderunt Complutenses* hanc replicam, quæ satis obvia est, & ad eam soluendam præmittunt longum discursum, cuius tota vis consistit in hoc, quod potentia materiales eo ipso, quo materiales, non possint concipere res vniuersales; intellectus vero possit, unde necessarium est quod non sit materialis. Quæ doctrina supposita;

*Respondent*, negando sequelam replicæ, & rationem disparitatis assignant, quod quidditas spiritualis non tollit indeterminationem & indifferentiam, per quam natura aliqua in esse representatio potest fieri vniuersalis; secus vero est de materiali quidditate.

4. *Sed contra*, quia quamvis forte ex intellectu rei vniuersalis sequeretur quod intellectus sic intelligens esset spiritualis; tamen ex hoc non sequitur quod ex eo quod posset intelligere rem materialem, debeat non esse materialis magis, quam ex eo quod possit intelligere rem spiritualem, debeat esse materialis. Et præterea in disparitate petunt principium, quia asserentes intellectum esse materialem, dicerent vel non intelligi ab ipso rem vniuersalem ut vniuersalis est, vel potentiam materialem posse talem rem intelligere.

*Deinde*, ut dixi, quamvis potentia deberet carere materialitate, ut intelligeret vniuersale, & ex hoc directe posset probati conclusio; tamen ex hoc non sequitur veram esse hanc propositionem, quod intellectus ut intelligat debeat ex se carere re quam intelligit. Itaque in forma ad prædictam probationem, ut magis clare pateat quod non sufficiat.

*Respondet* primo, negando minorem: nam non est in potentia ad semetipsum, cum tamen sit intelligibilis à seipso.

*Respondet* secundo, distinguendo maiorem, quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum suam entitatem physicam, caret illis secundum illam entitatem: quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale, caret illis ex se secundum illud esse intentionale, concedo maiorem; quidquid est in potentia ad aliqua recipienda secundum esse intentionale caret illis secundum esse reale, nego maiorem: nam, ut dixi, intellectus est potentia ad seipsum recipiendum secundum esse intentionale, & etiam ad recipiendas qualitates, & species sibi inhærentes, quoad esse intentionale, quia potest & se & illas intelligere, & nihil aliud est esse in potentia ad recipiendum aliquid quoad esse intentionale, quam posse illud intelligere, & tamen intellectus non caret seipso nec illis habitibus aut speciebus quoad esse reale, sed habet necessario se & potest habere illa alia in se realiter subiecta. Iuxta hoc distinguo minorem: quoad esse intentionale, concedo, quoad esse reale, nego, & distinguo similiter consequens: quoad esse reale, nego, quoad intentionale, concedo consequentiam, & concessio subsumpto, nego consequentiam.

5. *Ad primam confirmationem respondet*, negando consequentiam; visui enim ex ratione particulari sua competit quod color in ipso inhærens impediatur ipsum, quo minus possit videre alium colorem, ut colligitur experientia, hæc autem ratio cur erit in aliis potentiis?

*Confir*

*Confirmatur hoc* quia licet visus per colorem impediat, quo minus videatur aliud coloratum, tamen per materialitatem non impeditur quo minus possit videre aliud materiale; ergo neque intellectus per materialitatem deberet impediri à videndis aliis rebus materialibus.

*Ad confirmationem secundam respondeo*, intellectum non esse ex se in pura potentia in ordine intelligibilis, nisi quatenus ex se non habet cognitionem ullius intelligibilis absque concursu alicuius obiecti determinantis ipsum siue per se, siue per speciem impressam, sic autem esset pura potentia: quamvis esset materialis.

Et quamvis etiam quidditas materialis esset obiectum per se ipsum. Sicut enim intellectus Angelicus est in pura potentia in ordine intelligibili, quamvis sit spiritalis, & obiectum per se ipsum sit quidditas spiritalis, tamen bene quàm obiectum adequatum intellectus coniuncti sit quidditas materialis; quia scilicet ex se non habet intellectionem ullius rei, quatenus est potentia; ita in proposito dicendum.

6. *Probat idem Auctor*, alio modo, quod intellectus, & consequenter anima sit spiritalis: quia non læditur ab ullo intelligibili, quantumvis vehementi, sicut sensus læditur à vehementi sensibili: sed huius non est alia ratio, nisi quod non sit materialis sicut sensus: ergo.

*Hæc etiam ratio* non sufficit, quia facile negari potest minor, & assignari pro ratione, quod nullum intelligibile habeat ex se offendere intellectum quamvis materialem, licet aliquid sensibile habeat ex se offendere sensum, quod tamen ipsum omnino incertum est.

*Confirmari potest hoc* quia ut fatentur aduersarij, imaginatiua quantumvis sit materialis non læditur à vehementi imaginabili: ergo nec intellectus quantumvis esset materialis deberet lædi à vehementi intelligibili.

*Dices* cum aduersariis, per accidens esse quod imaginatiua non lædatur à vehementi imaginabili, quia scilicet non datur tale.

*Contra*, quia eodem modo posset dici, quod per accidens esset intellectum non lædi à vehementi intelligibili, quia non daretur tale: & confirmari posset hoc, quia ideo potest colligi quod non datur vehemens seu excellens imaginabile, quia non datur aliquid tale, quod lædat imaginatiua: ergo si non datur aliquid intelligibile lædens intellectum debet dici quod non datur vehemens intelligibile.

7. *Alij probant Conclusionem*: quia anima est indiuisibilis, & carens partibus. Hæc probatio non debet admitti nec à Thomistis, quia asserunt animam perfectorum brutorum esse indiuisibilem & tamen materialem; nec etiam à Scotistis, quia putant puncta quantitatiua esse indiuisibilia & tamen materialia.

*Arriaga* probat eam; quia est independens à materia. Sed neque hæc etiam probatio sufficit, quia quamuis dependeret à materia, ut bene posset de potentia absoluta, adhuc tamen esse posset spiritalis, ut supra dixi disp. 2. de anima.

*Probat idem secundo* ex inclinationibus contrariis, quas habet homo ad virtutes & vitia, quia hinc sequitur quod habeat principium spirituale, quod inclinat ad virtutem & materiale quod inclinat ad vitia.

*Verum neque hæc etiam sufficit*, quia potest habere illas inclinationes secundum diuersas considerationes bonitatum, quæ essent in obiecto, ut inclinationem ad virtutem, secundum quod obiectum esset bonum honestum, & ad vitia, secundum quod essent bona vtilia: & certe verisimile est Angelum in via posse habere huiusmodi diuersas inclinationes, quamvis esset totaliter spiritalis: unde ex illis inclinationibus non sequantur duo principia, in nobis, virtus spirituale, & alterum corporale.

8. *Probat ergo melius*: ex dictis in disputatione prima de anima; quia anima est tota in toto, ac tota in qualibet parte corporis, & consequenter petit occupare conaturaliter locum ac subiectum diuisibile: sed in hoc consistit conceptus rei spiritalis, ut ibi dictum est: ergo est spiritalis.

*Obijciat*. In septima Synodo generali *act. 2.* refertur

testimonium cuiusdam Ioannis Thessalonicensis Episcopi dicentis, animam esse corpoream: quod dictum ipsius potius approbatur quam improbat à Concilio.

*Respondeo* Concilium illam doctrinam non approbasse, quamvis approbauerit conclusionem, ad quam confirmandam adducebatur, nempe Angelos & animas posse depingi instar corporum, quia alio modo non poterant depingi, neque enim omnes rationes adductæ ad probandas conclusiones definitas in Concilio aliquo approbantur à Concilio, ut multis exemplis ostendi potest. Ioannes autem ille non est tantæ autoritatis, quin facile errasse admitti possit.

## QVÆSTIO II.

*Verum Anima rationalis consistet materia prima, & forma substantiali.*

**N**on defuerunt aliqui, qui existimauerunt Angelos & animas rationales constare materia & forma; pro qua opinione citari solet S. Bonauentura in 2. dist. 3. & Scotus etiam in questionibus de anima q. 15. problematicus in ea quibusdam visus, speciatim Cauellus eodem loci: quos nonnulli recentiores Scotiste sequuntur. Itaque quomodo se res habeat de anima hic examinabo, & ex resolutione quid etiam de Angelis dicendum sit facile innotescet.

### CONCLUSIO I.

9. *Anima rationalis non consistat materia prima.* Hæc est iam communissima sententia contra S. Bonauenturam & nonnullos alios, quos citat Cauellus supra.

*Probat* primo, quia anima esset corruptibilis; posset enim Deus separare vnionem, quæ esset inter materiam & formam, & si hoc fecisset corrumpetur.

*Verum hæc probatio non sufficit*, quia quamuis Deus posset ipsam corrumpere, tamen causa secunda non posset; non esset autem inconueniens in sententia opposita, quod Deus eam posset corrumpere. *Confirmatur*, quia cæli quamuis consistant materia & forma secundum communem sententiam non sunt corruptibiles dicendi, quia quamuis Deus de potentia absoluta posset eos corrumpere, tamen neque ipse, neque causa secunda potest corrumpere illos de potentia ordinaria: ergo idem dici posset de anima, quamuis constaret materia & forma: nec prorsus est vlla ratio quare debeat dici magis incorruptibilis quam cælum, nisi quatenus aliunde constaret, quod non includeret materiam.

10. *Probat* secundo, quia sequeretur quod anima non esset actus primus corporis organici potentia vitam habentis, contra definitionem Philosophi, quia constaret alio actu, qui potius deberet dici actus primus.

*Hæc etiam probatio non est magni momenti secundum se considerata.* *Responderi enim facile potest primo*, nisi posset esse actus primus, si esset composita ex materia & forma, illam definitionem Philosophi non esse bonam; nec eam datam à Philosopho, nisi quatenus putauit animam non esse sic compositam, unde ut constet illam definitionem esse bonam, debet aliunde probari quod anima non sit sic composita.

*Responderi potest secundo* negando sequelam, quia esse actum primum corporis, non est aliud quam esse actum, qui possit cum corpore facere vnum per se substantiale: hoc autem posset facere anima quamvis esset composita ex materia & alio actu: quemadmodum enim corpus organicum potest facere vnum per se cum anima, quamvis constet alio actu; & alio subiecto in nostra sententia: ita anima posset facere vnum per se cum corpore, quamvis constet alio actu, & materia. Quod si quis velit intelligere per actum primum, actum qui non constaret alio actu, dicendo animam esse actum primum corporis, peteret principium, ut patet.

11. *Probat* tertio: quia sequeretur materiam ex qua constaret anima, non esse materiam primam, & esse; esse quidem, quia id supponitur non esse vero, quia præsupponeret conaturaliter aliam materiam, nimirum illam